

[19]. *Quod tarrete habeant unam stateram pro qua-
libet.*

Dicimus quod quilibet tarreta habeat unam stateram
ut in statuto nauium ¶ continetur.

c. 251.

St. Zen, XXXI.

[20]. *Quod patroni non possunt esse marinarii.*

Uolumus quod nullus patronus tarrete possit esse
marinarius sue tarrete nisi ut in statuto nauium conti-
netur.

St. Zen, XXIII.

[21]. *Quod minores decem et octo annorum non pos-
sint esse marinarii.*

Dicimus quod nullus minor decem et octo annorum
possit esse marinarius in aliqua tarreta, et eciam nec mi-
les, nec peregrinus nec seruiens, sub pena uiginti quin-
que librarum pro quolibet a patronis soluenda qui con-
tra hoc marinarios receperint; que pena in nostrum co-
mune deueniat. Qui patroni cum marinarios acceperint,
ab eis accipiant sacramentum si minores decem et octo
annorum fuerint, ut in statuto nauium continetur.

St. Zen, XXIII.

[22]. *Qualiter patroni non possunt cambire mari-
narios.*

¶ Dicimus quod patronus aliquem marinarium, quem c. 252
in uiaticis pro sua tarreta habuerit, cambire non debeat,
nisi de uoluntate maioris partis mercatorum ipsius tar-
rete, sub pena dupli marinaricie illius marinarii; et om-
nes marinarii manifestare teneantur ut in statuto nauium
continetur.

St. Zen, XXXV.